

firmitate debita roborari, propter quorundam enim fratrum nostrorum absentiam consummationem ipsius negotii suspendi oportuit et differri, ut demum unanimi ac pleno capituli nostri consensu et consilio super redemptione advocatie memoratis abbati et conventui eius perfectius et abundantius caveretur. Placuit autem ipsis eam medio tempore nomine pignoris obligari, unde prefatus abbas et conventus eius datis mutuo centum quinquaginta marcis buregravio supradicto et eodem advocatiam ipsam in nostris manibus resignante, ut eam abbati et conventui eius traderemus in pignus, ipsi eam de manibus nostris nomine pignoris acceperunt, daturi adhuc eidem buregravio trecentas et decem marcas in terminis adhuc de voluntate contrahentium deputandis, dummodo ad hoc plenus capituli nostri consensus accedat, ut prefatum monasterium liberam sibi teneat advocatiam eandem, redemptione ipsius iuxta quod premisimus confirmata. Sane ut nihil in his contractibus negligatur, hic etiam ducimus exprimendum, quid de consensu et intellectu partium in utroque contractu sub advocatie nomine concludatur. Nomine advocatie omne illud ius intelligitur comprehendi, quod Iohannes qui dicitur advocatus montis de manu buregravii tenere dinoscitur, ac totum illud ius, quod ad buregravium pertinet in raptu, in effusione sanguinis et in insidiis et in irruptione, que noth, bluthrust, lage, heimsuke vulgariter appellantur, ac preterea ius banni et trium iudiciorum annuorum, quibus ante palatium nostrum consueverunt buregravii presidere in loco, qui vulgo palenze nominatur. Ad hec nihilominus omne ius servitorum si quod ad buregravium pertinebat. Cum autem voluerit eam buregravius redimere, contingente quod abbas et conventus eius eam de consensu capituli nostri liberare ac liberam sibi retinere non possent, non eam redimet buregravius de pecunia, quam pro ipsa infeodanda vel impignoranda recipiat vel quam extorqueat ab hominibus monasterii memorati. Ipso autem eam redimente abbas eam nobis restituet et buregravius recipiet a nobis eandem. Si pendentibus his contractibus vel altero illorum duntaxat buregravium mori contigerit, heredes ipsius ad omnia ea que de ipso buregravio premisimus tenebuntur. Sic et abbas et monasterium eius tenebuntur eisdem, sicut a partibus contrahentibus coram nobis est fideliter compromissum. Testes huius rei sunt Gernandus decanus, Kraphto, Lodewicus et Temo, maioris ecclesie nostre canonici; Cesarius abbas de Hildesleve, Arnoldus capellanus eius, monachi quoque de monte beati Iohannis Conradus, Bruningus et Conradus; laici vero: Albertus vicedominus, comes Bedericus de Dorenburg, Gerardus dapifer noster, Iohannes de Iericho, Ludolphus pincerna, Heinricus de novo Gatersleve, Siffridus de Beneke, Heinricus advocatus noster, Hartmodus de Borch, Bernardus de Innesleve, Fridericus de Hardestorp, Godefridus de Weddinge, Arnoldus de Baddenleve, Fridericus de Calve, Ioannes advocatus, Nicolaus de Weddinge et alii quam plures.

Acta sunt hec anno ab incarnatione domni millesimo ducentesimo vicesimo primo.